



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Ex quibus rebus decimæ sive prædiales, sive personales sunt
solvendæ ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

fidia præcipiatur, ut necessaria vitæ tanquam debitum stipendium, subministrantur illis; tum quod ex Christi præcepto, dignus sit operarius cibo suo *Matth. 10.* Quatenus verò sunt certa & determinata quora, decima v. g. pars fructuum, tempore quidem legis Moysaicae jure divino positivo debebantur Levitis, juxta *capit. 27. Levitic.*; in novo autem testamento clericis de jure positivo canonico tantum debentur, cum nulla lex divina in novo Testamento extet, qua obligentur fideles ad decimam partem dandam clericis, multa autem sint SS. Canonum præcepta ad hanc quotam obligantia. Potest quidem dici, deberi decimas etiam in novo testamento originaliter de jure divino, eo quod canonica institutio, circa decimas dandas, originem suam acceperit ex jure divino, in antiqua lege decimam talem partem præscribente; & quatenus solvuntur in recognitionem supremæ Majestatis, formaliter etiam de jure divino præcepta sint, non tamen probari potest efficaciter, quod formaliter acceptæ, ut sunt hæc determinata quota ministris Ecclesiæ solvenda, sint juris divini.

SECTIO II.

De rebus, ex quibus decima sunt solvende, & de modo, quo solvi debent.

§. I.

Ex quibus rebus decima sive prædiales, sive personales sunt solvenda?

Communis ac certa Doctorum omnium sententia est, quod solvi per Compend. Pirhing.

se debeant decimæ prædiales ex omnibus proventibus rerum omnium tam mobiliū, quam immobiliū, uti patet ex *c. nuntios. 6. c. ex parte. 21. c. ma. 26. & pluribus alijs hujus tit. capitulis.* Ubi in specie certæ nonnunquam res exprimuntur, ex quibus debent dari decimæ; & asseritur etiam, quod integrè eas solvi debeant, ac sæpius eodem anno, si sæpius & diversis temporibus seminati ac producti fructus fuerint, & qui in mora culpabili solvendi sunt, censuris etiam Ecclesiasticis ad harum solutionem compelli debeant.

Decimæ verò personales, ex omnibus quidem illis, quæ industriam hominis, & hujus labore licitè acquisita sunt, etiam ex stipendio militis, advocati, procuratoris &c. ex præda, venatione, piscatione, aucupio (si tamen inter personales has posteriores numerare velis) solvi debeant, jus commune spectando, uti *ex c. 22. & 23. ac alijs pluribus hujus tit.* patet, plurima tamen tam de his decimis personalibus, quæ omnino abrogatæ per contrariam consuetudinem videntur, quàm de prædialibus legitima consuetudo immutavit, quæ servanda erit in hac juris positivi materia.

§. II.

Verum ex rebus illicitè acquisitis debeantur decimæ, & an ex acquisitis titulo lucrativo?

Decimæ prædiales etiam ex rebus injustè & illicitè acquisitis solvende sunt, sic ex fructibus æri, quamvis usuraria pecuniâ hic coemptus sit, aut illicitius possessio violentè acquisita sit, debentur decimæ prædiales, cum præda aut usurarius non debeat esse melioris

A a a a

con-